



# Disputatio juridica inauguralis de legibus

<https://hdl.handle.net/1874/343320>

DISSE<sup>R</sup>TATI<sup>O</sup> JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
L E G I B U S,  
FAVENTE D<sup>O</sup>Q<sup>U</sup>A M<sup>M</sup> TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
**M. GERARDI de VRIES,**

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimeque*

*Facultatis JURIDICÆ Decretō,*

**PRO GRADU DOCTORATUS,**

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit*

**PETRUS à CLEYBURGH, DELFIS-BAT.**

*Ad diem 14. Aprilis horā locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,  
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiz  
Typographi, clo I<sup>o</sup>c XCII.

A Nobilissimo & Amplissimo  
VIRO,

D. ARNOLDO  
SLACHTOE,  
Reipublicæ Delfensis viro  
Consulari & Senatori, nunc  
fœderatorum Belgarum Se-  
natui, (qui Status Consilium  
vulgo audit,) adscripto & de-  
signato, Cognato & fautori  
suo omni pietate, honore, ob-  
servantia, prosequendo, co-  
lendo, venerando.

*Hacce Juris & justitiae studii  
Tyrocinia submisso animo*

*Offert & consecrat*

PETRUS à CLEYBURGH  
Auct. & Resp.

P A R I C I A T U S O I M A T I E U I M.



Omi peregrinum & foris domesticum versari, licet quam multis commune, nihil tamen turpius. Nec illud in vita civili solummodo, sed etiam, dum Themidi operam navare studeamus, evenire solet, rerum, circa quas mens nostra quotidie cogitando versatur, natura non bene percepta: qua de causa, cum Juris operam danti, si legum studiorum suorum fontium & perpetuorum ducum vim & efficaciam ignoraret, maxime vitio verteretur, basce meditationum e ceteris objectum elegi, & quidem, ut rem ab origine ducam, legibus communia primo explanavi, ut suo loco apponi possint, deinde jus civile sequutus, quae juri naturae, gentium & civili propria erant, speciatim exposui. In toto hoc quidem tractatu textus iuris civilis rationibus junxi, ut exinde, quam maxime veritati & aequitati maturali conveniat jus nostrum, appareat. Si quædam sint, Lector benevolè quæ forsan menti arriderent, ea, quæ à Preceptoribus condenda acceperam, me suo tempore de promisse puta, si contra quædam futilia & à mente aliena, Scholæ vitiis adscribe & tenuitati meæ fare animo reputans.

Quod in magnis voluisse sat est.

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
LEGIBUS.  
CAPUT I.

*De Lege in Genero.*

THESES I.

Um societates & Imperia, ut domi tu-  
ti & ab exterorum insultibus securi vi-  
tam mortales transigant, colicæperunt,  
eum in finem & Leges & Arma subse-  
cuta sunt. quibus tanquam duabus ba-  
sibus imperia fundata pacem & tran-  
quillitatem fartam tectam habere & ad  
summum Majestatis fastigium aspirare  
possunt, hinc illud de Romano im-  
perio

— *Duo sunt, quibus exultit ingens  
Roma Caput, virtus Belli & sapientia Pacis.*  
id est, armis & legibus, hæ opera pacis, illa belli, quam-  
vis utroque tempore & belli & pacis exercenda. Cum tamen  
multo asperius sit rempublicam bonis pacis artibus, quam ar-  
mis firmare,

(*Cedant Arma toga, concedat Laurea Paci.*)  
& leges tanquam imperii anima & spiritus longe armis an-  
teferendæ, leges enim à natura sunt, sine quibus imperium  
constitui, vel constitutum consistere nequit: contra arma ex-  
discordis ortum deducunt, & ad Justitiam legibus nixam  
contra

I N D I A U G U R A T L I S . 5

contra contumaces, & ejusque hostes vindicandam & exsequendam parata sunt, ea de causa mirum in modum hæc duo Imperator in *Instit. proœmio* jungit, *Imperatoriam*, inquit, *Majestatem, non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam: Legibus hoc modo imperii defensionem, Armis, dum leges intactas servent, gloriam & decus tribuens; Cum autem sine Jure nihil perpetuum, etiam arma sua Jura habent, qui nullo armorum strepitu oblitteranda, uti optime deducit.* *Grotius in Prol. §. 5. de Jure B. & P.* hæc ipsa sunt, quæ ad legum Justitiæque studium, earumque naturam, hac, qua inauguror, dissertatione detegendam animum impulerunt.

I L

Lex a *legendo*, vel quia subjectis prælegebatur, vel publice legendo proponebatur secundum quosdam nomen habet. Alii à *ligando*, cum lege ligentur & adstringantur homines; nihil hac de re certum, nisi incertam legis esse Etymologiam. Græci eam *vōuον* dicunt a *réμα* tribuo, quia leges illud, quod æquum & justum tribuunt, & ipsius Justitiæ in immobili voluntatis suum cuique tribuendi studio consistentis regulas ac viam continent, ex lege enim suum jus cuique oritur. Hæc generalis legis, *omnium diuinarum & humanarum rerum regina* l. 2. ff. de *LL.* significatio vario modo & præsertim quidem in Jure Civili, nunc latius, nunc strictius sumitur. Imprimis quidem illud vocabulum se diffundit, cum omnia jura, ipsamque legem naturalem complectatur l. 2. & 7. ff. de *LL.* atque ita vox legis & juris sæpe eadem significatione sumuntur cum tamen probe distinguenda sint; fateor legem cum jure confundi, quatenus leges omnes in unum collectæ totum jus, id est, illud quod justum & æquum præbent, proprio vero contrariantur juri, cum jus dicatur libertas, lege non restrita, & libera facultas, quæ legi subjecta, juris nomen amisit. Restringitur contra legis significatio, cum lex dicatur jus scriptum & consuetudini opponatur l. 32. ff. de *LL.* imprimis quidem cum tantum lex dicatur, quam populus Roma-

## 6 DISSERTATIO JURIDICA I

nus libera Repub. voluit l. 7. ff. de *J. & S.* vel cum sola Lex  
 12. Tab. per *rateçoxw* legis nomen meretur l. 130. ff. de *V. S.*  
 hinc *legitimum* id dicitur, quod *Lege* 12. Tab. cautum est;  
 sic *legitima tutela* t. t. *Inst. de Leg. Tut.* Improprae lex pro con-  
 ditione & forma saepius usui venit, *Florus* l. 2. c. 6. §. 59. Con-  
 ditiones pacis *leges* vocat. *Terent.* ea conditione atque lege. In  
 l. 52. de *V. O.* & l. 23. de *R. F.* quod initio convenit, legem contra-  
 etui dedit. id est formam & modum. Non minus & pactum &  
 consilium denotat *ruber*. ff. de *Leg. Commiss.* inter haec tamen  
 summa differentia agnoscenda, nam consilium non obligat,  
 & ratio obsequii ex ipsa rei utilitate sumitur, sed in lege a  
 voluntate & arbitrio legislatoris, illud amici, haec superioris  
 voluntas. Sic ex pacto ipso facto & propria voluntate ex con-  
 sensu obligatio oritur, cum contra lex nos ad obligationem  
 cogit, illud proprio inter æquales, haec semper inter inæ-  
 quales locum habet.

## III.

Cum mihi mens sit Legis naturam in genere pertractare  
 ut deinde generalia suo loco applicari possint, in initio legis  
 natura uno ictu oculis objicienda. Habemus l. 1. & 2. ff. de  
*LL.* varias de lege definitiones, sed Rhetoricas & hyperbo-  
 licas magis, quæ cum nos in veram legis cognitionem haud  
 deducant, ea de causa nos hanc proponimus. *Lex est, decla-*  
*rata voluntas ejus, cui Imperii jus, subjectos ad faciendum vel omit-*  
*tendum sub pena obligans.* In omni enim lege haec necessario  
 requiruntur.

## IV.

Prima igitur loco venit quisnam legislatoria potestate pol-  
 leat, & obligationem inducere queat, nam cum creature ra-  
 tionali (hanc solam legis capacem in seqq. clarum erit) li-  
 bera facultas agendi concessa sit, eaque pro arbitrio uti pos-  
 sit, quamdiu hac libertate gaudet, eamque restrictam & li-  
 mitatam non sentit: hanc ob causam simul ac ea facultas & in-  
 agen-

agendo libertas certis quibusdam regulis, quas sequi necesse habet, adstricta sit, voluntatem superioris hac potestate praeditam & leges sibi praescriptas noscit, hinc in definitione dixi, quod sit voluntas ejus cui jus Imperii, id est, ejus, qui hanc voluntatem cum potestate conjunctam habet, quarum una sine altera obligationem inferre nequit; licet enim quis potestatem legislatoriam teneat, non tamen simul velit meam voluntatem sua facultate privatam, agnosco quidem ejus potentiam, & fore me obligatum casu, quo velit, haud tamen ideo libertas mea imminuta est. Ab altera parte, si quis voluntatem solummodo in me exerat, (non tamen potestatem legislatoriam viribus exsequendi suffultam) me nullo modo obligare potest, & impune ejus voluntatem contemnere possum, quamvis, si vires ei ad sint, me cogere & libertati exercitium impedire possit. Hæc igitur voluntas injusta & tyrannica; illa vero, quæ cum potestate conjuncta, justa & legitima aestimanda. Cum hisce, quam optime Jus Civile conveniat patet ex l. 4. ff. de statu hom. cum libertatem definiat, quod sit naturalis facultas ejus, quo d cniue facere liber, nisi si quid vi, aut Jure prohibetur. Manet igitur libertas, quamdiu nullis legibus circumscripta est, ejus autem actus & exercendi modi vi suspenduntur, salva tamen in se libertate & ab omni obligatione immuni. Quod si alicujus voluntas omnimodo alteri subjiciatur, & legibus herilibus teneatur servus dicitur. Unde l. 4. §. 1. ff. eod. servitus dicitur constitutio Juri Gentium qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. Natura enim omnes liberos constituit, sed Jus gentium contra naturam, id est, naturalem facultatem & libertatem quosdam plane alterius voluntati subjectit & libertate privavit.

## V.

Cum autem hæc Legislatoria potestas tanta sit, hinc dixi quod sit ejus cui Imperii jus, quia enim omnes hanc voluntatem lubenter actionum normam agnoscent, & ei sine poena subducere nequeunt, necesse est, ut ille, cui hæc potestas,

inter

## 8 DISSERTATIO JURIDICA

inter illos omnes , quorum voluntatem pro arbitrio flectere potest , principem locum obtineat , & majestas in eo eluceat , hinc est , quod legislatio inter jura majestica refertur & summus in societate imperans legum quoque conditor est (ideo in seqq. summam potestatem cum legislatoria confundemus,) est enim haec quasi formalis ratio , & summi imperii fundamentum . Legum tamen cura & aliis ab imperante mandari potest , qui mandatarii & tanquam vicarii ejus viribus adjuti & cuncti leges executioni mandant.

## V I.

Ut igitur leges in societate aliquam vim obtineant , summe necessarium est , ut legislator cognoscatur , nam si quis animadvertisat se sua agendi facultate orbatum , & suam voluntatem alterius voluntati subjectam , in eum hanc potestatem tenorem scrutabitur & quidem imprimis in causam , ob quam hic & non alter legislatoriam potestatem exercet , nam ut jam antea dicere cœpimus , cum nullam rationem animadvertisam , quare quis potestatem in meam voluntatem exerceat , nec ullum in me obligationis , ad obsequium præstandum sensum habeam , juste id ei denegare possum ; nec facit , quem tantis viribus pollere , quibus , dum eis resistere par non sim , mihi metum injicere , & ad obsequium cogere potest , cum exinde coactio , non obligatio oriatur , inter quæ differentiam ex ante dictis videre licet . Hanc ob causam valde errant , qui volunt summam potestatem fortiori competere , esset enim & haec brutorum potuis , quam hominum societas , ubi quisque viribus fidens ad imperium rueret , quibus bruta quidem in obsequio continentur , non tamen ratio humana fragilitatis & brevitatis corporis virium conscientia se hisce obnoxiam patitur : deinde dum quisque viribus potens sibi imperium comparare studeret , fraterno sanguine maderent manus & ferrum in propria viscera rueret , quibus modis humanum genus potius destrueretur , quam conservaretur . Ab altera parte non beneficia nec insignia faventis animi bona , quibus mihi bene vult ,

vult, utilitatemque meam promovere studet, alteri in me Imperium parant & exinde ad arridwra & grates, non autem ad obsequium, eumque superiorem, agnoscere teneor.

## V I I.

Oritur igitur summa legislatoria potestas ex hisce fontibus. Primo ipsa causa istius facultatis concessæ & liberrimæ hominis voluntatis ipsam quoque, dum dedit, & restringere & tollere potest; quatenus autem hanc facultatem omnes ab uno aliquo superiore acceperunt æquales sunt creaturæ rationales, nec quis earum, illius imperio se subducere potest, quem enim suum *Creatorem* agnoscunt, *Gubernatorem* quoque agnoscere debent; Utrum hujus potestatis causa sit, ipsa creatio, an vero infinita istius causæ eminentia, inter omnes non eadem sententia sedet. utrumque tamen dici posse autumo, nam cum nulla hujus voluntatis causa esse queat, nisi infinite potens, sapiens & perfecta, ipsius creationis fundamentum & quasi præsuppositum est illa ὑπερῶχη & excellentia, qua in creatura rationali tenuitatis & imbecillitatis suæ conscientia tantam reverentiam & existimationem, quantam finita & imperfecta ejus natura ei præstare potest, excitat; cum tamen & haec maxime per creationem sit nota, non potest non esse, quin & hanc tanquam proximam legislatoriæ potestatis causam voluntas hominis arbitretur.

## V I I I.

Altera autem hujus imperii causa ex pacto & conventione voluntaria ortum deducit, nam cum quis favori & juri pro se introducto renunciare possit, hinc ille, cui hoc Imperium a creatura rationali concessum est, voluntati quoque modum ponere potest, nam homines natura æquales fecit, nullique in alios imperium concessit, sed omnibus in omnia æquale jus distribuit, ideo nemini sibi imperium rapere & alteri invitio jus suum auferre licuit, sed id ab universo cætu uni

B conce-

## 10 DISSERTATIO JURIDICA

concedi & in eum omne jus transferri potuit ; sed cum ne-  
mo libertatis prodigus credatur neque facile alteri se subje-  
rit , nisi majorem salutem exinde speret ea de causa non alia  
conditione imperanti hoc jus concessum , nisi ut sub ejus  
ductu majori salute fruerentur cives , imperans enim impe-  
rii , non autem imperium imperantis causa constitutum : sa-  
lus igitur imperii & justitiae administratio ei semper ob oculos  
habenda , hunc in finem leges , quibus optime justitiam ex  
sequi potest , ab eo præscribendæ , unde inter Augusti virtu-  
tes hanc quidem Horat. summo loco constituit

*Cum tot sustineas & tanta negotia solus :*

*Res Italas armis tuteris , moribus ornes ,*

*Legibus emendas.*

Hæc enim imperii vincula & medicina , quibus sanis & sa-  
num imperium erit.

## I X.

Hac in re tamen apud omnes non isdem modus observatus  
est , vel enim populus voluit , ut cuncta unius arbitrio re-  
gerentur , vel multis electis imperii habendas dedit , vel sibi ipsi  
hanc potestatem servavit , administratores quosdam eligens  
quibus imperii ratio populo reddenda foret : hæc imperii  
formæ Democracy , illa Aristocracia : ista Monarchia nuncu-  
patur ; ex quibus postea mixta Imperii formæ natæ sunt ,  
in quibus Jura Majestatica divisa sunt , quædam populus  
sibi servavit , alia Optimatibus , alia Regibus concessit , quæ  
tamen omnia respectu totius societatis indivisa sunt.

## X.

Ex hisce igitur duabus causis omnis summa & legisla-  
toria potestas originem trahit quam non semper exercet ipse  
imperans , sed & aliis mandari quoque potest , qui eam non  
proprio jure , sed jure mandantis habent & Vicarii dicuntur.  
Hinc & certa quadam ratione ipsa potestates humanæ a sum-

mo

# IN A U G U R A L I S.

mo illo imperante , cui omnes imperantes subsunt mandatae & ejus vicariæ dicuntur ; quam vis Petrus in 1. Epist. Cath. eas *arboris auctoritatem* vocet , quatenus ab hominibus constituantur & ex multis ad imperium provehantur ; attamen Paulus in Epist. ad Rom. *omnem* , inquit , *potestatem a Deo institutam & ordinatam* , quatenus Deus hanc vel illam personam per homines eligere videatur , & in imperio confirmet , ipsisque mortalibus naturali quadam lege imperantibus parendum injunxit , sunt enim quasi Numinis Vicarii in terra , ejusque ministri , per quos justitiam exsequitur .

## X I.

Cognitis modis , quibus haec potestas aliis jure competit , subjectis ipsa persona in aliqua societate hac potestate munita , cognoscenda quoque est , ut sciant , quis sit , qui jus & vires habeat leges exsequendi , sive ipse imperans eas ferat , sive ii , quibus haec potestas mandata . Ut igitur major oblicationis conscientia in subjectis nasceretur , legislatores nomen suum , honores & insignia plerumque legum initii adjicere solent , imo quidam ulterius progressi , dum novarum legum ferendarum studio tenerentur , ut leges majus pondus habere possent , altiusque hominum mentibus infigerentur , Deos earum autores finxerunt . Sic Numa Pompilius , dum incultum Romanum populum formaret , præ se ferebat , *haec omnia quasi monitu Dea Egerie quo magis Barbari acciperent ut loquitur Florus lib. 1. c. 2. & Justinus de Ly-*curo propter durissimas leges de obsequio populi dubitante idem narrat . *Hac* , inquit , *quoniam primo solitus antea moribus , dura videbat esse , auctorem eorum Apollinem Delphicum singit , & inde se ea ex precepto numinis detulisse , ut consuecendi tedium metus religionis vincat .*

## X I I.

Sed ut imperantium voluntas subjectos obliget , ea nota

B 2

esse

## 12 DISSERTATIO JURIDICA

esse debet, non enim imperantem quædam mente agitasse ad legem solummodo requiritur, sed & ut cives hanc legislatoris voluntatem noscant; duo enim de legis natura sunt, constitutio & promulgatio. Hinc dixi in definitione quod sit *voluntas declarata*. Nemo enim de alterius voluntate certus esse potest, nisi declaretur. *Principio quidem rerum*, ut Just. dicit, *populus nullis legibus tenebatur*; *Arbitria principum pro legibus erant*. atque ita, cum auctoritas imperantium summa esset, & æquitas in illis sola inveniretur, leges in singula facta ordinabantur; sed cum æquitatis post Saturnia secula imperantes oblii essent, & eorum auctoritatem subjecti quoque conculcare cœperint, leges promulgandæ fuere, quæ subjectis actionum normam præberent. Nullam igitur ante promulgationem obligandi vim leges habent, cives enim justam ignorantiam allegare possent, hanc ab causam saepius aliquod tempus conceditur, ut leges intra illud ad omnium aures perveniant ut Imperator in *Nov. 66. c. 1.* duos menses concessit, ante quos elapsos impune leges haud observare poterant.

## X I I I.

Hæc promulgatio fit vel *viva voce*, cum ipse imperans vel alii ejus mandato quos populus facile noscere potest, legem ore profert & hanc suam esse voluntatem declarat. Ubi plerumque majestatis insignia adsunt, clangor tympanorum & tubarum sonus auditur, ut omnes advolent, & legis vox omnium animos pervolet, hinc summus ille Legislator cum populo Israelitico legem illam æternam promulgaret, ipsos cælos movit, fulmina micabant, & tonitruorum sonu æthera resonabant, ut dum legem populus accipiat majestatis sensum quoque habeat. Saepius etiam leges scriptæ propounderunt ut ita quisque eas scrutari possit, quam differentiam in duabus Græciæ civitatibus *J. C. 10. Inst. de J. N. G. & C.* notat. Non tamen scripturam legum natura exigit, quam nosse, licet alio modo, sufficit; plerumque tamen in scripturam

ram rediguntur, ut semper conservari possent, in quem finem quoque in æs inscribi & æneis tabulis ad æternam memoriam proponi solebant.

## X I V.

Postquam vidimus legislatoriam potestatem, secundo loco de iis agendum circa quos hæc potestas exerceri possit, & quinam sunt, qui obligationem recipiunt, ubi non inutile, imo necesse autem, antequam demonstremus, quinam de facto obligentur & obligationem recipere debeant, breviter notare, quinam obligari poslunt. In præcedentibus diximus legem esse latam, quando quis sentit liberam suam facultatem esse restrictam; requiritur igitur, ut creatura legibus accipiendo apta habeat voluntatem liberrimam, & ante legem consideratam, in diversa flexilem, quæ a superiore ad hoc vel illud agendum obligari potest; præterea ut gaudeat intellectu, quo non tantum summam potestatem noscere, sed & ejus voluntatem intelligere & accipere potest, atque talis sola est creatura rationalis intellectu & voluntate decorata.

## X V.

Eiusmodi creatura, ut de facto obligationem accipere tenetur, aliquem superiorem, seque ei subjectam noscere debet, hac de causa in definitione dictum, legem obligare *subjectos*, id est homines cum quadam relatione & respectu ad alios consideratos, qui nimur alterius potestati subsunt, ejusque voluntatem legem & actionum suarum modum agnoscere eique morem gerere tenentur. Ex quibus fontibus hæc obligatio oritur thesi 7. & 8. constat.

## X V I.

Obligat igitur lex omnis sub imperio 1. 8. ff. & 10. C. de LL.

B 3 tam

## 14 DISSERTATIO JURIDICA

tam habitantes quam advenas & peregrinos , hi enim , dum alterius territorium ingrediuntur , facto & tacito consensu superiorem agnoscunt , non tamen diutius , quam ibi manent , extra Territorium enim ad alteri parendum nulla est obligatio *l. ult. ff. de Jurisd.* sed iterum ei , cuius territorium intrant , se subjiciunt . Obligat lex omnes & quidem æqualiter , ita ut unius subjecti hac in parte non major ratio habeatur , quam alterius quod si unus vel alter excipiatur ab obligatione hoc & beneficium & Privilegium dicitur , quamvis proprie illa facultas & libertas , quæ ipsis præ cæteris competit , a principe concessa dici nequeat , sed hac in parte illis voluntas restricta non est , & libertati naturali relicti eaque adhuc frui videantur . A quo casu multum differt dispensatio , quando quis , cum lege jam obligatus esset , à legum obseruantia ab imperante solvit & dilapsatur ; hoc enim in casu libertas jam ademta erat & voluntati superioris obligata , qui , dum dispensat , civem libertati naturali restituit , qui actus solius imperantis est , qui ut legem ferre , ita pro parte tollere potest .

## X V I I .

Hac occasione disquirere oportet , an illa persona , quæ legislatoria potestate gaudet legibus soluta sit ? Et quis non animadvertisit hanc quæstionem legislatores pacto & conventione constitutos spectare , summus enim iste Legislator omnium rerum causa & creator optime sibi ipsi *Lex* dicitur , nam infinite perfectus sapiens & potens , ea tantum quæ perfectissima & sapientissima cogitat & vult , potestateque irresistibili voluntatem exsequitur , efficit enim omnia secundum consilium voluntatis . Verba sunt Pauli . Ut igitur ad inceptum redam , clarum puto , imperantis personam respectu suæ potestatis legibus non obligari , nam superiorem hac in parte non agnoscit , ipsa autem leges præscribit , quibus subjecti se obligatos sentiunt , qui vero leges fert , supra leges est , quod si legislator suis legibus teneretur sibi ipsi imperaret & propriam

priam personam obligaret, atque ita eadem persona esset obligans & obligata, quænam autem hæc obligatio? potest enim obligans personam obligatam semper ab obligatione liberare, princeps ergo quotiescumque luberet, & legibus alligatum se nollet, ab omni obligationis vinculo se solvere. *Digna tamen vox est Majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri. l. 4. C. de LL.* Maxime enim populus, ut legibus pareat, adstringitur, si ipse princeps sibi ipsi leges quoque præscribat, & quas fert ipse custodiat. *Hoc de Lycurgo Justinus testatur lib. 3. c. 2. non inventione, inquit, earum (legum nempe) magis quam exemplo clarior: si quidem nihil lege nulla in alios sanxit, cuius non ipse prius in se documenta daret.* Summa igitur in principe virtus est, si actiones secundum leges dirigat, & quamvis ad parendum cogi nequeat, ultero se se subjiciat. *l. 3. C. de Test.*

## X V I I I.

Subjecti igitur soli à summa potestate legibus obligari possunt, est enim vis & effectus legis obligatio, sine qua leges potius consilia & suasiones forent: quæ vox cum saepius occurrat ejus natura explicanda, in quem finem necessitè est obligationem ex facto & ex lege distinguere. Obligatio facti est, quando quis volenter facto aliquo interveniente, ut ex contractu vel delicto, obligatur; ex quo fundamento venit obligatio subjectorum in societatibus civilibus ad leges recipiendas. Sed postquam jam leges latæ sint, est juris obligatio, qua tenemur actiones legibus æquiparare, alioquin in ejus pænam necessario incurrimus; hanc igitur plerumque illa præcedit. Hasce duas confundere mihi videntur auctores juris civilis, cum acturi de veris & quasi contractibus & delictis obligationem *vinculum juris* dicunt. Quæ posterior obligatio nostri fori est, & recte dicitur *vinculum*, quod actionibus imponitur vi legis; sive hoc *vinculum oriatur ex infinita creatoris potentia*, sive *ex priori illa facti obligatione & pacto aliquo*, quo se creaturæ rationales imperantibus subjecerint,

cujus

cujus pacti virtute obligantur. Leges igitur hoc vinculum inducent, quo libertati hominis veluti frænum injicitur, unde sentit suam facultatem a natura competentem sibi ablatam, & voluntatem suam intra limites restrictam. In hisce igitur actibus qui prohibentur servitutis quædam species, non tamen libertas in totum extincta est, nisi homo ita alteri subjecta, ut alius plane sit ejus voluntatis domina, nec quicquam sine ejus voluntate facere potest, sed libertas legibus circumscripta nihilominus in casibus non circumscriptis salva manet. Imponitur ergo actionibus hominum per leges necessitas secundum præscriptum modum vivendi, quanquam, si velit, in contraria voluntas ire potest, ad factum enim præcise nemō cogi potest, quo tamen casu se ad pænam lege statutam obligat, & dum fensum suæ malitiæ habet, vires superioris volenter provocat.

## XIX.

Legum vis & efficacia cum in obligatione consistat, hinc operæ pretium erit, quid legislatoris voluntas intendat, & ad quid subjecti obligantur, inquirere. Haec enim proprius pars & Legislatio dicitur, qua quid agendum vel omitendum fit, definitur, est enim lex actionum norma, secundum quam subjectos vitam instituere oportet, ea de causa, ut eam, cum definiatur, adimplere possint, viresque hunc infinitem, aptas & capaces subjecti habeant, necesse est. Quibus positis, sola lex est, quæ actiones vel bonas & licitas, vel malas & illicitas declarat; nec hoc scitu difficile, nam postquam creaturæ rationales legis notitiam habent, simulac vel agant, vel agere omittant, utrum bene an male egerint, judex est conscientia, id est immotum illud, quod homo de actionibus, facta legis comparatione, fert, judicium. Unde statim sese actionum bonitas & malitia offert, si enim omnimoda cum lege in actionibus convenientia reperiatur, actiones bonæ dicuntur: si autem aliqua tantum ex parte a legum norma deflectant, eique contrariantur, malitia & peccatum actionis.

actionibus inesse dicitur. Dupliciter etenim peccare & legum sanctitatem contemnere quis potest, vel si directe contra legum præscriptum agat, vel si legem illudat, & in fraudem ejus, verborum tamen ratione habita, faciat. Ut optime notat Paulus in l. 29. & 33. ff. de LL. *Contra legem*, inquit, *facit, qui id facit, quod lex prohibet.* In fraudem vero, qui salvis verbis legis, sententiam ejus circumvenit. *Fraus enim legi sit, ubi quid fieri noluit, fieri autem non vetuit, id sit: & quod distat πτών ἀπὸ διανοίας, id est dielum a sententia, hoc distat fraus ab eo, quod contra legem sit:* cum legum vis ac potestas non in verbis, sed in mente consistat l. 17. ff. eod. quod ne fiat optimum erit, si leges claræ & perspicuae sint, ita ut earum verba mentem aperte indicent, quod quoque voluere Jcti l. 6. §. 1. ff. de V. S.

## X X.

Legis agitur virtus est imperare & vetare, id est, præscribere quid faciendum & omittendum, & quidem hoc in genere fit, cum legislator omnes casus, ne legibus obscuritatem pariat, comprehendere vel nolit, vel propter mentis imbecillitatem nequeat. l. 10. ff. de LL. Sed cum in iis quasi fons sit, unde omnes casus explicari possunt, judicem & qui jurisdictioni præest, leges interpretari & similibus casibus applicare, oportet l. 11. 12. & 13. ff. de eod. quid enim aliud est judicare quam leges singulis casibus interpretando applicare. Hac tamen in parte notandum leges negativas, & quibus legislator quid vetat, fortius obligare, quam leges affirmativæ & positivæ, haec enim tantum obligant, cum quis agere velit & occasio offeratur, agendi enim modum definiunt, illæ autem semper, & dum quis nihil agat, eum ligant.

## X X I.

Hac occasione non omittenda illa quæstio, an leges quoque permittant? Modestinus l. 7. ff. de LL. legis, inquit, *virtus hac est, imperare, vetare, permittere, punire.* Quod imperare

C & ve-

& vetare sit legis, clarum est, ut & punire: pæna enim est modus, quo quis adigitur ad observandam imperantis voluntatem, quod si neget, ei pæna injungitur, atque hoc modo ad præcepta legis quoque pertinet. *Permittere autem valde improprie ad legem spectare puto*; nam cum quis pro arbitrio agere possit, nec facultati & libertati impeditum sit, & nullis legibus teneatur, hoc jus permissivum est: sed cum superioris voluntate ad agendum vel non agendum determinatur, juris præceptivi nomine venit. Non autem hoc in casu permittere legem dici potest, cum aliquem ab obligatione eximat, vel cum leges antiquæ aboliantur; hoc enim in casu facultas ablata solummodo renascitur, & sublata obligatione, homo iterum naturali libertate uti incipit. Illo autem casu nulla ei obligatio imponitur & duce facultate a natura ei data, actiones liberrime instituere potest, de quibus antea fuis egimus.

## XXII.

Ut ad legum modum actiones componant omnes subjecti obligati sunt, non tamen omnes hunc in finem eodem studio, feruntur, cum enim viri honesti *σελενη τοις νομοις* summam libertatem autument, virtutis amore & studio legislatorum voluntatem colunt & ex *προαιρεσι* & habitudine, constanti animo legum observantes sunt, illa enim, quæ præmiorum spe & pænarum metu sunt, virtutis non sunt, & ad injustitiam potius referri merentur, sed cum bonum propter se appetibile, nec præmiorum nec pænarum rationem habent: contra

*Oderunt peccare mali, formidine pana.*

Nam qui ratione regi nequeunt, terrore coercentur; hac de causa omni legi vel implicite vel explicite pæna adjicitur, frustra enim lex, quæ impune violari posset; ut ita si agendo legi morem gerere quis nolit, id passive facere cogatur: obligant enim delinquentes se ad pænam, dum pænæ consci vo lentes in eam factis incurront. Atque hoc modo quidem extrinsecus, dum pænam subeant, legi satisfecisse videntur, intrin-

intrinsecus tamen peccant, dum obsequium imperanti recusant, & ipsam naturæ legem transgrediuntur: quo tamen casu ab ipso imperante optio concedatur, æque pæna se subjiciendo, ac voluntati imperantis parendo, legi plane satisfieri potest. Ne autem propter utilitatem summam ex legis omissione oriundam, ex proposito lex violetur, pæna, utilitate ex legis negligentia accessura, major statuenda est.

## XXXI.

Hoc igitur alterum legis caput, & pars vindicativa, directivæ opposita, à J. C. Sanctio & Sanctio poenalis dicta. qua sola lex ab injuriis hominum intaæta est, & sua iusta vindicat l. 41. ff. de pœnæ & clare s. 11. inst. de R. D. hinc quoque res Sanctæ dicuntur, quia ejusmodi legis sanctione ab hominum injuryia defunduntur & muniuntur l. 9. ff. de R. D. pœnæ autem est delicti coercitio sive malum aliquod triste seu passionis, quod alteri propter malum turpe seu actionis infligitur; in qua semper æquitatis ratio habenda, & pæna delicto proportionanda, nec ejusmodi poena statuenda, quam multi facile persolvere possunt, unde & sc̄pe ratione temporis aliarumque circumstantiarum mutanda, qua parte saepius arbitrio judicis relinquitur vide A. Gell. l. 20. c. 1. Est autem poena expressa & lege declarata, vel arbitraria, quæ, ut ipsa lex, ab arbitrio legislatoris, vel ejus, cui legum executio mandata, dependet: illa conductit in delictis gravioribus, ut mali pœnæ intuitu absterreantur, hæc in delictis facilioribus, ut majoris pœnæ metus pro alterius arbitrio infligenda eos à delictis coercent. Est quoque vel capitalis vel non capitalis; sed cum omnia huc spectantia, non nostræ pagellæ, sed voluminis sunt, ad reliqua properemus.

## XXXIV.

Hactenus legis essentialia vidimus, sed antequam legis species enumeremus, quædam breviter notanda sunt. lex cum

feratur in utilitatem societatis , quamdiu utilitas aliqua exinde durat , servanda nec immutanda , nisi temporum circumstantiae , nec non negotiorum & morum diversitas suadeant , quia crebra mutatione legum auctoritas convellitur , & imperantium majestas (cum voluntas in dies mutabilis , neque sibi constare videatur) conculcatur. Imprimis duobus modis leges mutationibus subsunt , ut notat l. 102. ff. de V. S. vel enim derogatur legi vel abrogatur. Derogatur , cum pars detrahatur reliqua parte manente salva. Abrogatur , cum plane tollatur & libertas reviviscat. Utrumque fit alia lege posteriore l. 28. ff. de LL. & l. f. ff. de Const. princ. vel ubi populus sibi imperium servavit consuetudo legi contraria ei derogat , vel abrogat , nam , quid inter est ? suffragio populus voluntatem suam declarat , an rebus ipsis & factis l. 32. §. 1. de LL. optima sane ex æquitate petita ratio.

## XXV.

Hæc sunt , quæ de legibus in genere dicenda erant , ubi in quibusdam , cum explicationem mererentur , latius divagatus fui , quædam in transcursu modo notavi , prout rerum natura exigebat. Cum autem quædam in hac vel illa lege specialia animadvertenda essent , quantum potero nitida legis divisio hoc loco proponenda , & relictis iis , quæ ad nostrum scopum non tendunt , eas tantum leges , quas Imperator noster inst. tit. de J. N. G. & C. explicat , in specie pertractare animus est. Optime autem leges ratione legislatorum & summae potestatis dispescuntur in Divinas vel humanas.

## XXVI.

Est lex *Divina* , quæ Deum auctorem habet ; eaque vel naturalis , illud rectæ ratione dictamen hominibus inditum , secundum quod actiones morales instituere debent , & naturæ jus dicitur. Vel revelata naturali opposita , quatenus eam per specialem revelationem hominibus Deus aperuit. Et est vel

vel moralis, quæ continet jus Divinum scriptum & Moysi à Deo in monte duabus lapideis tabulis inscriptum, de cœlo missum, neque alia ratione a lege naturali differt, quam quod præcepta legis naturæ multo clariora proponat. Altera est ceremonialis, quæ typos & adumbrationes de Messia ad ventu complectebatur, unde, apparente ipso corpore, umbra evanuit & in Christo finem invenit. Tertia est lex politica, quam, cum immediate populo Israhiliticæ præcesset, Deus in sua Theocratia actionum directricem constituit; ideoque eversis Hierosolymis & hæc eversa fuit.

## XXVII.

Altera legis species, quam homines diverso modo scripserunt, *humana* dicitur. Quæ menti triplici sub forma sese offerunt: Vel enim latuis patet & inter plures civitates locum habet, quæ hanc tacito quadam consensu induxerunt, & gentium jus nuncupatur. Secunda lex est civilis, quæ tantum in una aliqua civitate a summa civili potestate fertur; hæc vel ipsum imperantem quoque obligat & lex fundamentalis dicitur, qua populus, imperio prius absolute concessa (qua occasione imperantes potestate abuti & in licentiam & tyrannidem flectere cæperunt) libertatem & salutem vindicavit: vel subjectos solos obligat, ut omnes communi salute fruerentur, & proprie jus civile dicitur. Denique humana strictius sumitur, pro ea, quæ in rebus œconomicis ratione patriæ & dominicæ potestatis colitur.

## CAPUT II.

*De Jure Natura.*

## THESES. I.

**D**E lege naturali acturum, ante omnia, Ens aliquod infinite perfectum & independens, Deum inquam, præsup-

supponere oportet, qui, cum omnes creaturæ rationales ab eo productæ sint, & se ejus subjectos, Deumque regem & imperantem liberrimum agnoscere debeant, eas continuo gubernat & dirigit, si enim Deus, mundum providentia regi, vetus philosophorum dictum est. Hæc providentia maxime quidem in rationali creatura elucet, cum enim Deus hominis rex, & ille subjectus sit, non potest non esse, quin imperantis voluntas subjectis præscripta, & actionum moralium norma data sit, exinde quidem cura numinis continuo apparet, & creatura rationalis se a rege suo dependentem fateri cogitur.

## I I.

Non minus efficaciter naturæ lex ex principiis illis (quæ omnes homines in se conclusa tenent) turpis & honesti, sese hominum mentibus offert, quibus, quamvis legem scriptam non habeant, ostendunt opus legis cordibus inscriptum, unde conscientie eorum se mutuo accusant, ut latius gentium *Apostolus ad Rom. 2.* docet. Hæc sunt generalia illa principia & quidem simplicissima, quæ in omnibus eadem, ex quibus mens humana conclusiones quidem format, saepius tamen, præjudiciis obfuscata aberrat; & hæc ratio, quare omnes homines in iis applicandis non eadem, sed saepè contraria, observant. Unde, quam debile sit argumentum eorum, qui ex consensu omnium gentium naturæ jus deducunt, manifestum est, cum uni saepè turpe, quod alteri honestum & vice versa, videatur, generalia licet principia immutabilia maneant; hæc enim omnium obligationum fundamenta, citra quæ inter homines nulla fides, & nulla pietas; omnium quoque imperiorum vincula, quorum ope & qui regit & qui reguntur, promissa sua collunt.

## I I I.

Agnoscit igitur hæc lex Deum suum auctorem, ex quo fundamento, art. 7. cap. 1. demonstravimus. Hic enim solus, dum

dum homo ab illo omnia & quidem agendi facultates accepisset, eas in obsequium sui trahere, & hominis libertati modum ponere potuit. Quo duce, cum nihil, nisi & suæ & hominis naturæ congruum, voluntas cupiat, beatissime vitam instituerit mortales. Vult enim numen ea, quæ vel ex suis perfectionibus, vel ex sapientissimo arbitrio & liberrima voluntate profluunt. Hæc juris positivi, illa naturalis dicuntur. Quæ opinio sane Deo digna, cum perfectionibus suis infinitis, indifferentia ad ea, quæ numinis naturæ repugnant, incongrua foret, quæ autem, cum naturæ convenient, liberrime vult. Indifferens tamen in iis est, quæ pro arbitrio disposuit, qua parte & voluntatem suam tollere & quosdam dispensare ei liberum est, cætera autem jura immutabilia esse, eorum fundamentum arguit.

## IV.

Hanc suam voluntatem sapientissime hominibus numen aperuisse constat, nam cum humana imbecillitas vel vocis vel litterarum medio utatur, Deus illam quidem menti dictavit, eum quidem in finem, ne, dum omnes homines obligare deberet, & vix alio modo ad omnium mentem pervenire posset, quidam ignorantiam præ se ferant. Deinde ut statim actiones homo examinare posset, teste Paulo loco citato, *ut qui ostendunt, inquit, opus legis cordibus inscriptum, una testimonium redente ipsorum conscientia &c.* Dedit enim summum numen hominibus aliquam facultatem & pronitatem, quibus cum ratione uti possint, generalia illa præcepta facile cognoscunt, & mediante recta ratione ex iis veras conclusiones formant; unde lex naturæ innata dicitur, cum eam sine ulla argumentatione & cognitione acquisita facile investigare liceat.

## V.

Hac sunt præcepta illa practica, quæ non solum noscenda, sed dum actionum moralium normam offerant, ad eas hisce  
con-

conformes reddendas, creatura rationalis obligata est, quæ sola in societate omnium hominum sequi oportet, à quibus cæteræ leges vim & efficaciam suam mutuant. Unde, quam necesse sit Dei cultum & religionem in civili societate stabilire, apparet.

## V I.

Solus autem hæc principia homo noscere potest & tenetur, quia cum ratione prædictus natus sit, creatorem suum regem, ideoque se ejus subiectum novit, qua de re fuisus quoque *thes. 14. cap. 1.* à nobis actum. Nec unus hoc jure aliis superior, sed omnes æqualiter obligat, & ipse Princeps & Monarcha, aliis licet præsit, huic legi se cum servo subiectum fateri cogitur, quod probe jus civile *l. 32. de R. f.* notat quod ad jus naturale attinet, *omnes homines aequales sunt.* & cum hac in parte omnes quasi fratres & unius regis cives sint, recte *Florentinus l. 3. ff. de f. & f. inter nos,* inquit, *cognitionem quan-*  
*dam natura constituit.*

## V II.

Quibus positis, quomodo quidam jus civile salvare possint, non video, quod *l. 1. §. 3. f. & f. jus naturale*, vocat, quod *natura omnia animantia docuit.* nam præter ea, quæ §. *præc. ex thes. 14. cap. 1.* diximus, ubi solos homines juris capaces demonstravimus, & hoc addendum puto; hosce motus & instinctus jus naturale indicare non posse, neque exinde, quia naturæ instinctu ad aliquid ferimur, id juris naturalis esse, eosque motus, quia ipsis animantibus communes sunt, bonos esse, inferri posse. Nam cum omnis lex obliget, & homo, qui id, quod lex præcipit, omittit, eam transgrediatur, ex positis sequeretur nos semper ad ea, in quæ naturæ motus & instinctus nos ferunt, obligatos esse, & si ea non observaremus, in legis naturæ poenam nosmet conjecisse: cum tamen id falsum in iis, quæ jus civile hominibus cum brutis communia

munia statuit Ex. Gr. in matrimonio, quod ad facultatem & liberam hominis voluntatem pertinere puto.

## VIII.

Malto minus hosce motus & instinctus, dum brutis quoque competitunt, bonos esse, concludere licet, quia bruta utilitatem solam intendunt, & ventre duce feruntur. Sic quædam animalia, ut scriptores testantur, nec prolem educant, nec vim vi repellunt, sed vitæ alterius infidiantur, & motibus ac instinctibus corporeis accensa & agitata alia animalia invadunt. unde in l. 3. de J. § 7. consequens est hominem homini insidiari nefas esse. cum hoc brutorum & animantium sit. Deinde ipsi juris civilis auctores, cum jus homini cum brutis commune nullius pretii esse animadverterent, aliud quoddam naturæ jus, solis hominibus proprium, excogitare, quodque gentium jus dixerent, quamvis verum naturæ jus esset, nempe quod naturalis ratio inter omnes homines constituit. Et apud omnes peræque custodiuntur, vocatur jus gentium §. I. §. II. inst. de J. N. G. & C. I. I. §. 4. §. I. 2. & 3. ff. de J. & J.

## IX.

Summus igitur rerum moderator omnia non tantum creavit, sed quidem ad sui gloriam, in hoc enim Dei regimine subjecti & imperium solius imperantis gratia, non autem imperans imperii causa, ordinati sunt, & ideo omnes subjecti, cum se suaque omnia à Deo dependere sentiant, ad ejus gloriam & cultum se se omni modo applicare tenentur, unde Deum esse colendum, omnis juris naturalis fundamentum, primamque legem arbitror. Ex qua sequentes sponte fluunt; nam cum homo, sui Dei & regis subjectus, illud regnum naturale, Principisque gloriam, quam maxime promovere teneatur, se ipsum conservandum facile intelligit, cum unum quoque alterum exigat. Se igitur servare obligatur, & omnia media, ut utilem se civem præbeat, donec regi ad sui gloriam

D

riam

26 D A S I S E R T A T I O J U R A D I C A

nām alio eum votare lubet , ei adhibenda sūnt . Sed cum multo faciliori meliorique modo regem suum colere , se ipsum conservare , & regnum Dei promovere in societate aliqua possit , huic proximi & civis commodorum ratio quoque habenda , ut in societate vivere , & una cum reliquis civibus regis gloriam defendere , & in dies augere possit . Reliquæ igitur leges hoc primo de colendo numine & rege fundamento superstruuntur ; quo sublato , nec ulla societas , nec ullus inter homines amor consistere posset .

X.

Ex his tribus primariis naturæ legibus omnia hominum officia tum in ordine ad Deum , tum erga se ipsum , nec non ratione proximi eliciuntur . Cum quibus si actio hominis conveniat , moraliter bona , si ei contrariatur moraliter mala dicitur , & homo pœnam & iram regis sui in se provocat , quæ quidem expressa non extat , jus tamen Divinum omnes narrant , ut , qui talia faciunt , morte digni censeantur , ut loquitur divinus ille philosophus ad Rom . 1.

X I.

Et hæc quidem sunt , quæ pagellæ angustia nobis de lege naturali notare concessit , quæ tamen , cum ex iis tanquam primis veritatis fundamentis cætera huc spectantia deduci , aliorumque opiniones removeri queant , in præsentiarum sufficere debent .

C A P U T III.

*De Jure Gentium.*

T H E S I S I.

**H**omini , quatenus est animal jus suum cum brutis commune esse , qua ratione rationale est animal , habere naturæ ,

turæ, quo regitur, jus, & in ordine ad gentes, ei jus gentium competere, plurimorum Jctorum vox est, licet saepius jus gentium illud omne jus, cui creatura rationalis subjecta, civili quidem oppositum dicatur §. 11. inst. de R. f. § 1. i. §. 4. de f. § f. jus gentium, inquit, est, quo gentes humana utuntur, quod à naturali recedere facili intelligere licet quia illud omnibus animalibus hoc solis hominibus inter se commune sit; quo textu, jus gentium illud, quo homo solus regitur, jus denotat, juri naturali brutis & hominibus æquali contradistinctum.

Vocant Jcti jus gentium, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peraque custoditur, vocatur jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utantur §. 1. inst. de f. N. G. & C. & §. 2. inst. in fine eod. jus autem gentium omni humano generi commune est. Nam usu exigente & humanis necessitatibus, gentes humana quadam jura sibi constituerunt. Hi textus dum inter se conciliari non possunt, distinctioni inter jus gentium primævum & secundarium occasionem dedere. Primævum est naturalis inter homines turpis & honesti notitia & simplicium principiorum scientia, quæ omnibus hominibus æqualiter quidem offeruntur & ab iis cognoscuntur, quo possent spectare ea quæ l. 2. & 3. de f. & f. habentur, de quibus naturæ dictatis ex professo cap. præced. actum.

## I I I.

Jus autem gentium secundarium longe à primævo differt, illud enim demum ortum habet ex gentium necessitatibus & usu; nam jus naturæ, quod Jcti jus gentium primævum vocant, homini tantum principiorum primorum notitiam indiderat, & quomodo officia singulis quidem hominibus præstanda essent, definierat, idque mens humana sine ulla demonstratione & tantum intellectu intuitu percepit quo tendunt ea quæ l. 2. & 3. d. f. & f. habentur, quæ nos clarius cap. 2.

## 28 DISSERTATIO JURIDICA

th. 9. proposuimus, & juris gentium primævi nomine comprehenduntur, quia illud primo ævo ante civitates conditas mortales solummodo obligavit. Deinde cum homines societates inire cœperint, & non tantum uni sed & pluribus simul sumtis id est toti genti & populo una societate collecto, officia præstanda essent, ex primo primis illis principiis mens humana conclusiones formavit & intellectu *stavohimq* alia quædam jura exinde deduxit, quæ habentur *l. 4. & 5. de J.* & *J.* atque hoc est jus gentium secundarium, quod plurimæ gentes, cum naturali æquitate fundatum esset & vera ratione duce exinde concludere possent, observarunt. Unde ad hoc constituendum hæc duo prærequirebantur; primo necessitas & exigentia quædam communis & inter plures gentes mutua. Secundo, ut omnes gentes ob eas necessitates jus illud constituerent, ad quod constituendum non quidem consensus expressus & omnium gentium conventio requirebatur, sed & tacitus consensus sufficiebat, & ut ipso facto se idem jus velle, ostendant, nam an dictis an factis voluntatem declarent, quid interest? unde consuetudinis hoc jus naturam induxit.

## V I.

Ex quibus facile intelligere licet illud jus non omnibus idem fuisse, & cum multi homines in jure naturæ seu gentium primævo applicando à vera via aberraverint, constat & his tantum, qui æquali modo eadem ratione ducti fuerunt, hoc jus commune fuisse, quodque eam ob causam plurimæ aliæ gentes imitarunt. Hinc est quod Doctores dicunt *jus gentium esse quod apud moratores gentes obiinet*. Hoc enim jus gentium secundarium ipsæ gentes constituerunt *§. 3. b. cap.*

## V.

Ex hoc jure gentium bella introducta, *l. 5. de J. & J.* nam cum privata defensio & injuriæ propulsatio licitæ essent, non minus

minus justitiae & publicae pacis violatores bello domare & extra laedendi statum constituere licet. Ex hoc quoque dominia §. II. Inst. de R. D. & alia multa, quorum catalogum l. 5. de J. & J. exhibet, proveniunt. Ipsae obligationes hinc attribuuntur, dum in genere pactis & promissis standum naturalis æquitas docet: ipsarum quoque actionum origo hinc deduci potest, quatenus & illud, quod promissum & deberur peti possit, in reliquis autem ius civile hisce formam dedit, quasdam in totum à jure civili dependere JCti arbitrati sunt l. 5. in fine cod. de quibus omnes non convenient, quidam enim litterarum obligationem & stipulationem, alii Emphiteusin & novationem excipiunt.

## VI.

Manumissiones ex hoc jure quoque ortas vult Ulpianus l. 4. de J. & J. quas tamen solummodo à jure civili introductas puto; sed nec hoc à JCtis alienum gentium juri adscribere, quod in multis societatibus jure civili introductum est; ut & saepius illud, quod ex naturæ quibusdam præceptis, & jure civili conflatum, ius gentium vocarunt. Imo ipsa servitus, fundamentum manumissionis, ex bellis & captivitatibus secundum JCtos in fine §. 2. de J. N. G. & C. sequuta, hodie apud moratores gentes exulat. Sed de hisce longius dicere nos sequens de jure civili materia vetat.

## CAPUT IV.

## De Jure Civile.

## THESSIS I.

Solis naturæ legibus homo recens ex creatoris manibus in terram missus, cum regeretur, civilis imperii vox penes

## 50 DISSERTATIO JURIDICA I

cum exulabat, aucto vero in immensum genere humano, & alios, cum quibus pacifico vivendi modo frueretur, sibi assumit homo animal sociabile, nam naturæ rex proximum amandum homini indidit, & nulla major civium commodi augendi occasio, quam in societate civili, offertur. Deum enim, qui finem voluit, media fini quam maxime necessaria & apta, non minus voluisse constat; quo igitur homines auctiori vivendi nexu juncti, eo major iis beneficiendi locus relictus est. Accesit mortalium indigentia, qua homo, cum solus sibi non sufficeret, mutua auxilia implorare cogebatur; præterea malorum metus mortales ad societates struendas impulit & adegit, unde pactis & conventionibus firmata pace societates civiles ortæ, & imperiorum diversitas & discretio.

I V  
I I.

Sed cum vaga esset civium voluntas, & depravati promissis fidem negare, pactaque violare, cum vellent, impune possent, pacti custodes electi sunt, quibus, ut meliori salute fruerentur, summam in se suasque actiones potestatem consulere cives, & libertas, cui pro parte renunciabant, in imperantium gremio quievit. Salutem igitur civium stabilire, eamque in dies augere, imperantium munus erit, & quo meliori modo, quam dissonam civium voluntatem consequenter actiones diversas regendo & secundum præscriptam normam ducendo? ut quid agere, quid omittere oporteat, sciant, quam rem ex professo cap. 1. th. 19. tractavimus. Leges igitur in civitate ortæ civiles à civili potestate dictæ, quas violare impune nemini erit, obligant enim hominum conscientiam, dum pactis standum & Magistratibus parendum naturæ lex aperte docet.

## I I I. T

Notandum leges civiles voluntatem civium tantum premerè, quandiu ejusmodi actionibus, quæ imperio subsunt, impe-

imperent, unde in civitate imperanti ante omnia ad jus naturale attendendum, ne legibus æquitati contrariis subjecti parere detrectent: non enim illud solummodo licitum & honestum, illicitum & turpe, quod leges civiles volunt, sed illud, quod naturæ jus præcipit vel vetat, antecedit, à quo omnem suam æquitatem leges civiles mutuantur. Duobus etenim modis imperium firmatur & inter imperantes & cives concordia servatur, justitia nempe imperantium in iustis & mandatis & promptitudine subjectorum in obsequio. Äqua igitur ratio est anima legis, qua nota boni cives imperantium voluntatem nunquam illudent, & mali justissime pæna afficiuntur. Sæpius tamen ea, quamvis non appareat, præsumenda, cum illam addere non in omnibus casibus conducat, & imperantium voluntas sæpius solummodo spectanda.

## I V.

Optime autem, quid jus civile sit, docet l. 6. de J. & J. *jus civile est, quod neque in totum a naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei servit, itaque cum aliquid addimus vel detrahimus juri communni, jus proprium, id est, civile efficitur.* Fundatum igitur ut sit jus civile naturali, necesse est, unde ab eo non recedit, non tamen plane ei quoque servit, sed constituitur, cum voluntas imperantis libertatem hominis naturalem magis coarctet, actionesque indeterminatas determinet, & ob reipublicæ salutem naturali jure specialius & novum jus statuat; fit igitur cum plures leges juri naturali superadduntur, ideoque per consequens facultati naturali, sive juri naturali permisivo detrahatur.

## V.

Inter civiles leges maxime quidem Romanæ vigent, quæ propter summam in iis subtilitatem & æquitatem in hunc usque diem penes multas gentes servantur. Nec est quod multi eas iniurias in puribus culpant, nam plurima a majoribus consti-

## 32 DISSERTATIO JURIDICA

constituta sunt, quorum ratio reddi nequit, quæ tamen suis in casibus & pro temporum ratione, summam æquitatem habuere, si igitur rationes omnium eorum, quæ constituuntur inquirere quis vellet, multa ex his, quæ certa sunt, subvertentur *I. 20. & I. 21. de LL.* deinde in multis apertam & claram rationem, ut subvertant, plurimi student. Exemplum nobis sit *I. 1. de Aleat.* ubi prætor actionem ei, apud quem alea lusum est, si quid ei subtractum sit, denegat. Quo in casu prætorem furtæ contra naturalem æquitatem non tantum impunita sinere, sed homines ad ea quoque allicere dicunt. Si vero quis debite attendat, nullum hoc loco furtum, nullumque delictum esse satis manifestum erit, nam quo in casu prætor impunitatem promittit, id in eorum hominum pœnam, qui domos & habitationes suas aliis ad ludendum concedunt & exinde quæstum faciunt, constituit: in odium igitur aleæ hanc pœnam, ut ita dicam, popularem voluit, & unicuique ut absterreantur, hujus pœnæ persecutionem permisit, non tamen id factum furti nomine venire potest, quamvis & ipse *I. 1. §. 2. eod.* ita loquatur, cum externe sese res quidam sub hac specie offerat: Nam prætor, (cui & hanc potestatem fuisse satis compertum est,) eum hominem suarum rerum dominio exuissé videtur, unde cum res nulli a prætore assignatae & nullius sint, cedunt occupanti: *§. 11. Inst. de R. D.* quod exinde clarius exparet, quia in hoc edicto non de poenali actione solummodo prætor loquitur, nam hoc in casu verum furtum esset, & dominium dominus retineret, dum rei persecutionem adhuc haberet, & rem condicione furtiva repetere posset *I. 7. §. 1. de Cond. furt.* denegata ei tantum poenali actione. Sed & edictum eo tendit, si ad exhibendum velit agere vel vindicare, vel condicere *I. 1. §. 3. de Aleat.* unde dominio eum à prætore privatum constat. Nec jam refutare dignum, quod illud, quod semper crimen est, in pœnam constitui non posse dicant, cum nullo hoc in casu crimen sive furtum, non enim fit rei alienæ contrectatio, sed nullius per edictum prætoris factæ, neque etiam hoc invito domino fit, cum res nullum nisi occupantem dominum cognoscat.

VI. Hæc

Hæc sunt, quæ de jure civili in genere prænotanda mihi videbantur; strictius nos ad jus nostrum Romanum succingamus, sub quo quidem omnia ea à Justiniano Imperatore collecta, comprehendimus, non tantum jus civile tanquam à jure prætorio diversam speciem constituens l. 7. de J. & J. sed quod jus prætorium complectitur. Constat autem jus nostrum, quo utimur aut scripto aut sine scripto §. 3. inst. de J. N. G. & C. & l. 6. ff. de J. & J. Scripti autem juris species sunt Lex, Plebiscitum, Senatusconsultum, Principum Placita, Magistratum Edicta, Responsa Prudentium. d. §. 3. & l. 7. & §. 1. ff. de J. & J. de quibus singulis breviter agere diversa natura exigit. Cum vero hæc legum species à variis Romani imperii regiminis formis profluxerint, hasce præmonere non minus jucundum, quam utile erit.

Initio urbis conditæ populus Romanus sub regibus fuit, quorum manu omnia gubernabantur l. 2. §. 1. de orig. juris, & ferox populus incerto jure alebatur, principumque arbitrium pro legibus erat, cum plane Monarchicum imperium esset; sed a regum tyrannide Roma liberata regiæ leges quoque ejectæ fuere, & lege Tribunicia exolevere l. 2. §. 3. eod. ita regum nomen odiosum erat. Populus itaque sibi imperium vindicavit constitutis consulibus annuis magistratibus, quibus imperii cura mandata erat, ad populum tamen semper provocare licebat. Democratica igitur imperii forma Monarchiam exceptit, quo tempore legatis ad Græciæ civitates missis, leges exinde latæ, domique Decemviris electis, qui leges componerent & conscriberent, tota justitia 12. Tabulis ordinata fuit, & certo jure Romana res publica niti cœpit l. 2. §. 4. de orig. juris, cum vero brevitas istis legibus obscuritatem pariebat, juris studium excoli cœpit, cum interpretatione jus indigeret. Fuit igitur unicuique publica de jure respondendi

## 34 DISSERTATIO JURIDICA

dendi facultas, donec Augustus eam potestatem quibusdam, ut major juris auctoritas haberetur, solummodo concessit *l. 2. §. 47. de orig. juris.* Sed cum plebs decemviratus, patriciorumque potestatis impatiens esset, discordia inter hanc & patres exorta est, unde seditiones ortae & plebs legibus constitutis sibi consuluit, donec tandem lege Hortensia lata, eadem vis plebiscitis & legibus attributa fuit *l. 2. §. 8. eod.* fuere igitur Democratiæ vitia, quibus Romanum imperium tamdiu jactatum fuit, donec in imperatorum gremio quievit, & præter libertatis nomen nihil populo remansit & plane Monarchia renata fuit.

## V I I I.

Ex quibus intelligere licet primas leges fuisse populi in jure nostro leges in specie dictas, quæ a populo libera Romana republica ferebantur. Est igitur *lex, quod populus Romanus Senatorio Magistratu interrogante (veluti Consule) constituit. §. 4. Inst. de f. N. G. & C.* Magistratibus majoribus & imprimis quidem imperii temporibus Consulibus de salute populi & imperii deliberandi potestas data erat, qui legem mente comprehensam per trinundinum populo publice legendam offerebant. Quo tempore elapsò, populo in campum Martium convocato legem ad eum centuriatis comitiis ferebant, rogabantque *velitis, jubeatis Quirites.* Unde optime *A. Gell. l. 10. c. 20. quod,* inquit, *lex sit generale populi iussum rogante magistratu, nam caput ipsum & origo & fons legis rogatio est.* Si enim populus se velle & jubere responderet, lex lata erat.

## I X.

Magnam cum lege plebiscita convenientiam habebant, uti & *Gellius loco citato* quoque notat. Nam, sicut diximus, cum Senatorius ordo magna suo ordini privilegia constituebat & imperium ad se rapere velle videretur, regiminis pertæsa plebs (id est altera populi pars, *A. Gelli verbis loco citato* utar, *plebem autem, inquit, Capito seorsum a populo divisit, quoniam in populo omnis*

omnis pars civitatis, omnesque ejus ordines contineantur; plebs vero ea dicitur, in qua gentes civium patricia non insunt. Atque ita sub plebe Equites continentur. §. 4. in med. inst. de J. N. G. & C. licet saepe hic à Senatu & plebe tertiam populi speciem constituant. ) seditiones movit & partem imperii sibi vindicavit, quo tempore Tribuni plebis electi sunt, quibus rogantibus, plebs plebiscitum jubebat. Unde plebiscitum dicitur, quod plebs plebejo magistratu interrogante (veluti Tribuno) constituerat. d. §. 4. Quod etiam Gell. loco citatio legis nomine complectitur. Plebiscita quidem in initio vim aliquam habuere, sed demum post tertiam in Janiculum secessionem perfectae fuere, cum Dictator Hortensius, ut aequae patres ac plebs hisce tenerentur, constituit. l. 2. §. 8. ff. de orig. juris.

## X.

Cumque auctus esset populus Romanus in eum modum, ut difficile esset in unum eum vocari legi facienda causa, aquum visum est Senatum vice populi consuli. §. 5. inst. de J. N. G. & C. tenui vero re-publica Romana omnes facile adesse & suffragia ferre poterant, sed populo Romano aucto, cumque plurimi in suffragiis ferendis adesse nequibant, manente penes populum summa potestate, legum jura Senatui mandata est d. §. 9. habuit igitur Senatus hoc jus jure populi Romani vicario, qui id per conniventiam & veluti tacito consensu Senatui concederat, cum semper adesse non possent. Sic Iust. lib. 3. c. 3. illud jus expressa Lycurgi voluntate Senatui oblatum refert. Regibus, inquit, potestatem bellorum, magistris judicia per annas successiones, Senatui custodiā legum, permisit. Nullo ergo modo summi imperii particeps Senatus erat, sed solus id populus Romanus tenebat, Senatui tantummodo legum ferendarum potestate concessa; quod clarissime ex §. 6. inst. de J. N. G. & C. & l. 1. de const. princ. patet, qui textus, populum, non autem Senatum hanc potestatem in Principem transtulisse, apertius declarant; unde illam non in Senatu, sed in populo Romano resedisse, Senatumque illam potestatem jure mandantis exer-

36 DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> JURIDICAI

cuisse, nec non Reipublicæ formam mere popularem fuisse, certo certius est : qua distinctione non bene percepta, illorum error, qui ante statum Monarchicum & quidem Tiberrii tempora, Senatusconsulta nullam vim habuisse volunt, profluxit ; cum aperte huic sententiæ l. 2. §. 9. de Orig. Juris & §. 5. de J. N. G. & C. contradicant, idque etiam ratio, ob quam hæc potestas Senatui concessa sit, aperte exigit, nam jam ante Cæsares eum in modum auctus erat populus, ut difficile convenire possit. Non igitur ambigitur Senatum jus facere potuisse l. 9. ff. de LL. quam potestatem postea Principes quoque, postquam populus eam in Principes contulisset, Senatui adscripsere, eamque ex Principum indulgentia exercuere, qua de re apertus quoque Textus in l. 8. C. eod.

## X I.

Ut ordinem imperii Romani observaremus & Prætorum Edicta & responsa prudentium Principum constitutiones præcedere deberent, sequemur tamen hac in parte modum in Institutionibus nobis præscriptum. Cum igitur imperium Romanum ab uno principe regeretur, quod ipse Princeps constituit animo legis ferendæ, id pro lege servatum. l. 2. §. 11. & 12. de orig. Jurisl. l. de const. princ. & §. 6. inst. d. J. N. G. & C. plerumque autem Principes in Senatu orare solebant, ut Senatui legis necessitatem exponerent, eamque dein confiraret l. 3. C. de LL. quæ constitutiones plerumque generales sunt, & ab omnibus observari debent, nisi in favorem vel pœnam alicujus constituantur & privilegia dicuntur. Quæ solummodo digito demonstrasse satis est, dum & hæc singularem paginam exigant. Quo autem jure hæc potestas Principibus competierit, an lege Regia ut §. 6. inst. de J. N. G. & C. & l. 1. de Const. princ. ? qua primo hanc legum condendarum facultatem Principibus & quidem Augusto à populo constitutum, & secundo illos legibus solutos esse, cautum volunt : an ad hanc potestatem tempore pervenerunt, eamque sibi rapuerint ? acriter inter Doctores controvertitur.

XII. Cum

## XII.

Cum vero libera republica Consules, qui tunc tempore in urbe jus reddebant, bellis finitimi avocarentur prætor electus est urbanus, qui jus in urbe reddere debebat l. 2. §. 27. de orig. juris verum Prætorum numerum, cum respublika Romana in ultimis terræ oris arma circumferret, & eas suæ ditioni adiecisset, valde crevissæ testatur Pomponius l. 2. §. 32. & 34. eod. hi primo tantum edicta proponebant, ut scirent cives, quod jus de una quaque re & quomodo dicturi, essent l. 2. §. 10. eod. nec ulla illis legum condendarum potestas, sed legum custodes erant, & ex iis jus dicebant. Horum igitur edicta propter æquitatem recipiebantur, eamque ob causam non modicam juris auctoritatem obtinebant §. 7. inst. de J. N. G. & C. non autem Prætores novum jus dabant legesque abrogare poterant, sed leges civiles adjuvabant, supplebant & corrigebant l. 7. §. 1. ff. de J. & J. Et cum tota civilis jurisdictio penes eos erat, jus strictum mitigabant; quod in omnibus servari, cum durissimum esset & jus iniquum redderetur, relieto jure stricto naturalem æquitatem sequuti sunt, & negotia secundum jus acta salvo tamen jure rescidebant. Hinc omnes illæ restitutiones in integrum, actiones & exceptiones prætoriae; Est enim jus honorarium viva legis civilis vox l. 8. de J. & J. nullam igitur hæc edicta per se potestatem habebant, & annua erant, sed postea vim legis ab Hadriano & nostro Imperatore accepere, l. 12. §. 18. C. de V. J. Eucl. & edictum perpetuum vocata fuere. Illud jus honorarium dictum quod ex honore, quo magistratus illi decorati erant, ortum fuit l. 2. §. 10. in fin. de orig. juris. Ædiles majores five Curules edicta quoque proposuere, qualia adhuc in corpore nostro juris existant. tot. iii. ff. de adil. edit.

## XIII.

Leges 12. Tabb. per quam breves & concinnas fuisse ex

E 3

frag-

38 DISPUTATIO JURIDICA INAUGUR.

fragmentis constat , unde cum infinitos casus non comprehendenter , leges enim plerumque in genere loquuntur , interpretationi JCtorum causam dedere , ex quibus tanquam juris legitimis fundamentis jus eruere possent . *l. 2. §. 5. de orig. juris* quorum opinionibus primis temporibus nulla vis & auctoritas fuit , sed postquam receptæ & à summa potestate confirmatae fuere , summam auctoritatem tenuere , & sub Cæsaribus quibusdam jus respondendi datum fuit . *§. 8. inst. de 7. N. G. & C.* ex quorum voluminibus maxima juris nostri civilis pars conscripta est .

X I V.

Hac sunt , quæ ad juris scripti scientiam necessaria hac dissertatione notare animus fuit . Jus non scriptum , cum satis sit diffusum ideoque latiore paginam exigat & dissertationis meæ jam metam me superasse , constet , filum abrumpo eique finem imponere cogor .



. I I I X .

E 3

A N.

# A N N I E X A.

.X. I

*Consuetudo legem certam nisi in statu populari abrogare nequit.*

I. I.

*Verba in definitione tutelæ in capite libro de pupillo, non de tute*re intelligenda sunt.

I. I. X.

*Exhæredatis quoque tutor dari potest.*

I. I. V.

*Tutela magistratibus ex speciali concessione competit.*

I. I. I. X.

V.

*Bonæ fidei possessor omnes fructus lucratur.*

V. I.

*In vestimentis verus Usumfructus est.*

V. I. I.

*Cedendo Usumfructum, ad dominum proprietatis  
redit.*

Dan-

# A X V I I I M A

Dantur actiones partim in rem, partim in personam.

## I. X.

Inter verbis conjunctos jus accrescendi locum non habet.

## X. I.

Quærela est remedium præparatorum.

## X. I.

Inviti minores curatorem non accipiunt.

## X. I. I.

Illud quod metu gestum rescinditur.

## X. I. I.

Ex contractu innominato facio, ut des, tantum actio de dolo oritur.

## .I. V

